

nobiscum componendi et concordandi plenam et liberam facultatem, concordauimus in hunc modum, prospectis vtilitatibus nostris et nostrorum et ciuitatum predictarum: Videlicet pyratas et in mari spoliantes parili consensu et vnanimi desiderio in tuicionem nostrorum et ipsorum debeamus et velimus impetere, turbare, et quantum poterimus, gracia diuina nobis adiutrice efficaciter oppugnare, quod nos ipsis consulibus, ciuitatibus et earum communitatibus constanter promissimus et promittimus, et ipsi nobis ex parte earundem firmiter promiserunt. Item quod nos sex libornos magnos ad classicam expeditionem aptos cum hominibus nostris armis et expensis sufficienter expeditis, et consules, ciuitates et communitates predicti totidem libornos cum aliis memoratis ad expugnandum pyratas predictos paratos habeamus, ita quod in ipsos pyratas et fautores ipsorum, qui in regna nostra et dominia latrocinia et crudelitates nunc exercent et in prefatas ciuitates, robur nostrum et ciuitatum predictarum congeremus et ad ipsorum excidium desudabimus indefesse. Item quod, si forsan, quod absit, ad comprimendam seuciam pyratarum non suffecerint naues duodecim prenotate, cum aliis ad has requisitis, vt hostilitas eorundem pyratarum plenius conquiescat, defectum earundem cum omnibus ad has necessariis supplebimus nos et eedem ciuitates, equaliter nobis in ciuitatibus eisdem supplemento supputato, quod imminet faciendum, secundum quod tunc necessitas exegerit, et inter nos et ciuitates predictas de nouo fuerit concordatum. Ceterum quod naues cum necessariis supradictis ad festum beati Martini continue pro eisdem hostibus exterminandis in defensione nauigancium nostrorum et ciuitatum prefatarum inuigilent et sollicite immorentur, nisi forte ex causa necessaria vel ex pari consensu nostrorum et ciuitatum predictarum nos et eedem ciuitates vltra Martini pro defensione vel oppugnatione predicta ipsas naues cum aliis predictis decreuerimus remorari vel antea reuocare, hoc irrefragabiliter addito, quod omnes naues et homines supradicti, cum virtus vnita sit magis vigorosa, inseparabiliter sibi mutuo coherebunt, separatione aut diuisione quacumque eis omnimode preterclusa. Acta sunt hec anno Domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>XL quarto, dominica Trinitatis.

3789.

1344 d. 30 Maj.

Ulfaby.

Lagmannen i Finland JAKOB MAGNUSSON intygar att Nils Ingevaldsson gifvit Botvid Ragvaldsson fasta på sina gods i Espelunda.

Orig. på perg. i Upsala Uniuers. Bibl.

Omnibus presens scriptum cernentibus Jachobus magnusson legifer in finlandia Salutem in domino Tenorepresencium tam futuris quam modernis

clam (!) protestor nicholaum ingualzsson Anno incarnationis domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XLIII<sup>o</sup> dominica trinitatis in presencia et auditu quam multorum fidedignorum vipsby existencium omnia et singula bona sua mobilia et immobilia cum omnibus et singulis ipsorum adiacenciis in villa espelundum sita, cum duobus proloquutoribus et octo fastonibus bothuido ragualzsson ipsiusque veris heredibus absque qualibet reclamacione iure perpetuo irreuocabiliter possidenda, rite, et legaliter appropriando integraliter resignasse, Scripta anno et die supra dicto sub sigillo meo in huius rei evidenciam et cautelam firmiorem.

Sigillet: »S. Jacobi Andriss. de Humv» (bjelke) på en ur brefvet klippt remsa. \*)

**3790.**

**1344 d. 30 Maj.**

**Svenamo.**

MARGARETA ABJÖRNSDOTTER testamenterar, för sin och sin affidne man Johans själar, till Nydala kloster 200 mark penningar, för hvilka hon som pant lemnar sin gård i Svenamo.

Orig. på perg. i Sv. Riks Arch.

In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen, Ego Margareta Aberni filia mente et corpore compos, attenta consideracione pensans quod humane condicionis fragilitas, nil stabilitatis, nil certitudinis optinens, nunc aduersis depressa, nunc prosperis elata, inter mundanas varietates anxia fluctuat requiem querens quam in huius seculi campo inquietudinis pleno non inuenit nec in aliqua creatura, nisi in illum tota mente se conferat in illo mentis aciem figat in quo vera sunt gaudia et requies sempiterna, Volens in ipsum tam quod sum quam quod habeo referre et secundum sapientis consilium diem malam tenebrosi temporis precauere et horam mortis incertam secundum amministratam desuper gratiam operibus quibus possum misericordie preuenire, vt ex hiis quibus me largitor bonorum et distributor honorum copiosa sue mere liberalitatis gracia honorauerat in hac vita, ipsum possim lucrifacere in eterna, in honorem suum et anime mee ac dilecti mariti mei Johannis bone memorie remedium testamentum facio, ordino, et condo in hunc modum, Primo monasterio Noueuallis ducentas marchas denariorum vsualis monete, confero in hiis scriptis pro quibus soluendis curiam meam suenamo titulo pignoris eidem obligo, ita tamen quod heredes mei infra annum continuum et diem, a tempore obitus mei ipsam curiam pro predicta pecunie summa, redimendi liberam habeant facultatem, alioquin ex tunc eadem curia cum domibus, agris, pratis, pascuis, siluis, piscariis, ac aliis suis pertinenciis quibuscumque, intra sepes et extra, longe vel prope positis, Mobilibus eiusdem

\*) Sigillet har ett annat namn än det som i brefvet förekommer. Ovisst om sista ordet i omskriften bör läsas Hvmv, Nvmv eller Rvmv